

Æ S O P I C Æ.

Fabulâ hac subjiciunt atq; monent, non pati Deum sceleratam audaciam esse impunitam, & hanc esse factionum naturam, ut per ipsas ad interitum ac perniciem civium via aperiatur externis hostibus.

De Cane & frusto carnis.

Ferebat canis secundum flumen decurrens raptum alicunde carnis frustum, cujus imago cum in aquis appareret, canis avidus illam, quasi alterum frustum undis innatans, appetit; sed dum pandit rictum ut assumat, id quod tenuerat amittit.

Docet fabula, avaritiam & infinitas cupiditates detrimentosas esse.

Leo, Juvenca, Capra, Ovis.

Societatem junxerant Leo, Juvenca, Capra, Ovis, Partâ autem prædâ in portiones aequales quatuor divisâ, Leo, Prima, ait, mea erit: Debetur enim hac præstantiæ meæ. Tollam & secundâ, quam meretur robur. Tertiam vendicat sibi eximius labor & defatigatio mea. Quartam qui suam esse voluerit, is sciat, se habiturum me inimicum. Quid facerent imbecilles bestia, aut quis refragari leoni, vel illum infestum habere sibi vellet? Universam igitur ipse prædam solus tenuit.

Hac fabula docemur, iis, qui potentum consuetudine implicentur, & insolentiam horum ferendam esse.

Lupus & Grus.

Inherbat os in faucibus lupi; mercede igitur con-
ducit Gruem, qui inserto rostro in rictum suum os
de